

The Electronic Manipulus florum

www.manipulusflorum.com

Vicium b cum fonte primo

Duo sunt ex omnibus uicia que maxime homines decipiunt sui uoluptate, gula scilicet ac libido, quos deponere eo difficilius est, quo eis uti dulcius et hec uicia tam molesta tamque delectatione sui periculosa, ita a multis calcari uidimus ut tota etate sua uirgines permanserint in sua abstinentia, ut de illis taceam qui post deliciarum longum luxum et inueteratum usum libidinis et castitati ac temperancie se dederunt, et utriusque uicium contraria sibi uirtute mutauerunt. Aliorum uiciorum est longe diuersa ratio que cum nichil iocunditatis sed multum amaritudinis habunt, que cum ad uitandum sint facilia, raro tamen a quibus uitentur inuenies.

Ieronymus ibidem (ad Demetriadem uirginem).

Duo namque sunt ex omnibus vitia, quae maxime homines decipiunt sui uoluptate, gula scilicet ac libido; quae deponere eo difficilius est, quo eis uti dulcius est: et tamen haec vitia tam molesta, tamque delectatione sui periculosa, ita a multis calcari uidimus, ut tota aetate uirgines permanserint in summa abstinentia; ut de illis taceam, quae post deliciarum longum luxum, et inueteratum usum libidinis, castitati ac temperantiae se dederint, et utrumque vitium contraria sibi uirtute mutauerint. Aliorum vero vitiorum est longe diuersa ratio, quae cum nihil habeant iocunditatis, tam multum amaritudinis habent; quaeque cum ad uitandum multo sint facilia, raro a quibus uitentur inuenias.

Pelagius, *Epistola ad Demetriadem*, 18 (PL 33, col.1111).